





1714.

1. Grass, Michael: De liberis status 19 exempl.

2. Harpprechtus, Ferdinandus Christoph: De rerum deceptorum
vel deceptorum condictione venditarum vindicatione

3. Harpprechtus, Ferdinandus Christoph: De spoliis publicis.
29 exempl.

4. Harpprechtus, Ferdinandus Christoph: De simultanea
successione Germani et consanguinei fratris in fidei
commisso familiaribus.

5. Hejms, Prankus Theoph: De restitutione in integrum
contra rem judicatam

6. Schroederus, Gabriel: De pari nexu civitatum Imperii
cum S. R. imperio.

1715

1. Grass, Michael: De nexu ordinis equestris
immediati in terra Franconia et terra Rhemensi
erga Caesarem et imperium



1715

2. Haerlin, Johann Colliis: *Usus-theoretico practicus distinctionis rerum in mobiles et immobiles.*
3. Moggling, Jacobus David: *De electione certae personae industrial*
4. Schroederus, Gabriel: *De voto decisionis civitatum Imperialis in Sacri Romano-Germanici imperii comitiis universalibus*
5. Schroederus, Gabriel: *Positiones controversae ex jure politico imp. Rom. Germanici.*

1716

1. Camerarius, Rudolphus Jacobus: *De febribus.*
2. Grassus, Michael: *De amicitia ac reverentia*
3. Grassus, Michael: *Observationes et animadversiones in quae dam . . . in ordinationes censorias Gallicenses . . . in specie qua delicta carnis.*
4. Grassus, Michael: *Conclusiones juridicae inaugurales.*
5. Grassus, Michael: *De impensis in reu alienam factis maxime in modo aestimandi et repetendi rousideratis*

1716

6. Hillerus, Christiaan Henricus: Fragmentum tutelae
speciei quartae: praetinae sive conventionalis
7. Mooglingus, Jacobus David: Collatio juris et civilis
Romani cum statutario Suev. Halensi circa
materiam emphyteusos et successiones conjugum.
8. Schöff, Wolff. Adam: De servitutibus praescriptione
extinctiva 2 Sumpt. 1716: 1745
9. Schroederus, Gabriel: Collatio succincta capitulationum
Caesariarum post Westphalicam pacem hujusque publi-
cae tum cum projecto perpetuae capitulationis
comitatus
10. Schroederus, Gabriel: De autoritate publica et
privata seu hypothecae publicae constitutione
necessaria

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]


3

5

3







AUSPICII LOCO

Summi ac Ubique Juris

DOCTORIS ac Privilegia prestantis,

Theologiae Doctoris et Historiae

LITTERIS STATUS

Staats-Brieffen

Imo Triumvir

Magistratus ac Praesidis

Magnifico ac prestantissimo in Illustri

ERENHARDINA IERONUM ORDINA,

PRÆSIDE acque aeterni

VIRO Prænobilissimo, Amplissimo, Consultissimo

& Excellentissimo,


MICHAELE GRASSO, U.J.D. &

Magistro ac Doctore Famigeratissimo, Secretario

Magistratus ac Praesidis

Magistratus ac Praesidis

JONANES ... Goppingensis,





13
471.
4
1716, 4.

CONCLUSIO- NES JURIDICÆ INAUGURALES

Quas
EX DECRETO

Amplissimi Jureconsultorum, in In- 17
clyta EBERHARDINA, Ordinis
PRÆSID E (22)

VIRO Prænobilissimo, Consultissimo & Excellentissimo,

DOMINO

MICHAELE GRASSO, U. J. D.
Seren. Ducis W urtemb. Consiliario,
Pandect. & Crim. Sanct. in Illustri Eberhardina
Profess. Publico.

Pro summis in Facultate Juridica Honoribus, ac
Privilegiis legitime obtinendis

Ad diem Novembris ANNO MDCCXVI.

Loco Horisque consuetis,

Solenni ac Placido Eruditorum Examine destinavit

JOHANNES HARPPRECHT, Tubing.
Supr. Dicasterii-Würtemb. Advoc.

TUBINGÆ,

Literis JOSEPHI SIGMUMDI.

DEO
PATRIAE
PATRONIS
FAUTORIBUS
ac AMICIS.

Ut omnia sua studia & conamina, ita
& pagellas hasce Inaugurales eâ,
qua par est, animi devotione sub-
mittit ac offert.

JOHANNES HARPPRECHT.



F. N. D. N. F.

Præloquium.

Cum maxime Illustris hujus EBERHARDINÆ statuta post exanclata solennia Examina etiam publicum profectuum à Jurium Candidatis specimen deposcant, operæ pretium esse duximus, ut has à suis cumprimis usibus, multisque, quibus undique scatent, difficultatibus comendabiles conclusiones, expendendas sumeremus, Tibique B. L. solennis exercitii Disputationis loco sisteremus. Fastigium quidem votorum fuerat, materiam quandam specialiore tractandi, quia vero, qui hîc, & anno jam superiori, respondentis vices, in Disputatione pro loco solenni Excell. Dn. D. Mœglingi, Patróni in æternum devenerandi *d. elect. cert. perf. industr. sat latè deductâ,* sustinui, hoc conclusionum compendium sufficere nunc credidimus. DEUS Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, cujus gloriæ, & honori, tam in legum veritate investiganda, quam in aureâ justitia juxta illam salutariter administranda, solitariè universos justitiæ sacerdotes litare decet, huic quoque labori benedicat ex alto!

A 2

CONCL.

CONCLUS. I.

Pro iuribus nostris rectius docendis, atque addiscendis, an præstet methodus per *Causas*, an methodus per *requisita*? id & hodiernum nonnullis, etiam Clarissimis Viris, opera pretium visum est, in discrimen vocare: & rectè cuique sua suo loco relinquenda est laus inremerata, prout cuiusq; agentis ingenio, & genio, vel *hæc*, vel *illa* est accommodata, prout vel temporali quando inserviendum, vel etiam ipsa ingenia inveniuntur varia, & alia, quæ in mediocritate consistere debent, cum ultra progredi non debeat, alia verò quæ funditus & iusto ordine omnia indagare & pernoscere amant, nullius pertæsa laboris, usque dum, quæ cogniti necessaria usuique etiam in iudicario processu futura, exhausta sunt cuncta. De cætero si rem ex vero æstimare volumus, methodus per *requisita* aut est *insufficiens*, aut in effectu *eadem* cum methodo per *causas*. *Insufficiens* est, non tantum in *Schola*, sed & in *foro*, quando rei aut negotij *requisita* recensentur, uti plerumque fieri solet, saltem ex loco *forme*, intactis relictis reliquis capitulis, pro obtinendo, & conservando jure suo cuilibet, in iudicio agentis, æque scitu & æque probatu necessariis: veluti, ut exemplum desumamus, tum *ex actu inter vivos*, quando ad dominii acquisitionem legitimam duo ponuntur *requisita*. (1.) *Iustus titulus* ad dominium transferendum habilis, qui dici solet *causa*, propter quam dominium transire, aut transferri debet, (2.) *Modus*, seu *causa*, per quam dominium actualiter acquiritur per, §. 40. *J. d. rer. div.* tum *ex actu ultime voluntatis*, quando ad ordinationem testamenti scripti solennis legitimam enumerantur *requisita*, (1.) ut declaratio voluntatis facta fuerit in scriptis, (2.) solenniter. Ratione harum solennitatum vero requiritur, (1.) *continuitas actus*, (2.) *præsentia septem testium habilium*, (3.) *subscriptio testium*, (4.) *eorundem subsignatio*, &c. §. 4. *J. d. test. Ordin.* & qui alii hanc in rem prostant textus, vid. B. Dn. Lauterbach, in *Colleg. theor. præct. ad tit. qui test. fac. poss. th. 56. & 57.* Jung. Schüz. *Compend. ibid.* Quid si verò, ultra hæc, rectè hæctenus quidem se habentia, porò controversia moveretur, an ita, vel contra-hentis, vel testantis voluntas, in hoc negotio conficiendo, rectè fuerit constituta? an *seria*, rectè, aut perfecte jam declarata? anne dolo elicitæ?

elicta? an metu extorta? & quæ sunt id genus alia : item contra-
 hens, an habilis sit persona ad contrahendum? ex. grat. an liberam
 rerum suarum administrationem habuerit? & testator an testamen-
 ti fictionem activam habuerit? porro an hæc vel illa res illius con-
 tractus, aut testamenti, objectum esse poterit? veluti, quando quis
 dicitur heredem scripsisse, in re non propria, sed aliena: qualia & simi-
 lia, æquæ ac illa, quæ ex loco formæ repetita sunt requisita, in judiciis di-
 sputanda, expedienda, & decidenda veniunt, teste quotidiana experien-
 tia; & tamen ex illa methodo *per requisita*, eo saltem, ut diximus, modo
 formata, hæc non traduntur, aut percipiuntur. Dantur autem in
 conspicuum per methodum *ad causas* directam, uti per evidentem ta-
 lem demonstrationem ad oculum patet. Quis hic non videt, quam *in-*
sufficiens, & quodammodo confusa, sit talis jura tractandi ratio, *per*
requisita, quæ quippe non nisi particulam quandam scientiæ juris ad-
 fert, & vix, ac ne vix quidem, semidoctos juris studiosos format. Cum
 contra tractandi ratio *per causas* plenior, & perfectior generet,
 & exhibeat jurium cognitionem, faciatq; adulescere studiosos in Jctos,
 & in scholis, & in foris, solidâ sufficientiq; eruditione fortes, atque
 constantes. Et quamnam quælo est sequela? Advocati ex. gr. per Ordi-
 nationes Judicarias jubentur requisita singulari cura attendere ac pro-
 ponere, omittis inutilibus. Ergo methodus *per causas* est deferenda,
 aut parum est utilis. Quid enim, si adversarius totum illud com-
 cedat, aut, hæc requisita, ex. gr. in testamento, de quo lis est, om-
 nia, uti enarrata, ita recte se habere dicat, sed tamen opponat, hoc
 testamentum factum esse ab eo, qui nondum pubes, qui adhuc Filius
 familias aut factum esse testamentum de peculio adventitio, sive regu-
 laris, sive irregulari &c. Sane non vincet iste Advocatus per sua requisita,
 etiam si vel centies ita recenseantur, aut probentur, sed debet & in reli-
 quis aliis jurium articulis se non minus instructum præbere, & hæc quo-
 que evincere, sed quomodo evincet, si hæc ignoret? *Die Deutschen*
nennen es eme Stück Arbeit. Eadem verò in effectu erit methodus
per requisita cum methodo *per causas*, quando requisita omnia, per
 quaslibet rerum classes, aut ex quolibet causarum fonte, si non ex-
 pressè, tacite tamen aut re ipsa, repetuntur; veluti si pactorum con-
 ventorum requisita exhibentur hæc. (1.) consensus mutuus, l. 1.

§. 2. & 3. ff. d. pact. seriuse omnino & recte ad invicem declaratus, l. 55. & 57. ff. d. O. & A. & (2.) Persona, ad paciscendum, & consentiendum habilis, talis scil. quæ nec natura impeditur, nec legibus prohibetur, l. 5. l. 40. ff. d. R. J. §. 6. §. 9. Inst. d. inut. ff. arg. l. 43. §. 1. ff. d. procur. l. 1. §. 12. §. 9. ff. d. O. & A. & (3.) talis res, taliaque facta, quæ licite in conventionem deduci possunt, l. 7. §. 7. l. 28. ff. l. 6. Cod. d. pact. & quænam sunt alia, secundum ordinem facile ulterius deducenda, à quibus tamen hac vice nobis temperamus, cum ex traditis jam satis constet, in effectu in idem recidere rationem tractandi jura per requisita, iusto ordine ita exhibita, ac rationem tractandi secundum ordinem causarum, & saltem id verbis non exprimi. Primum siquidem requisitum pactorum, modo adductum, & uni, quod patet, à causa efficiente producente: secundum à subjecto, & tertium ab objecto est petitum, & sic porrò: ut adeo hic quadrare videatur illud Tertulliani: *Malo, te ad sensum rei, quam ad sonum verbi, & ab ulorum exerceas*: quod Dialectici ita exprimere solent: *in verbis & simis faciles, modo in rebus conveniamus*. Nec est, quod adhibere metumus incommoda quædam, quæ solent notari in methodo per causas, cum eadem, aut non minora, aut pauciora, occurrant in methodo tali per requisita. Præterquam, quod hoc potius animadvertendum liceat, in hac disjici sapius, & confusè tractari materias, quando, quæ in loco de subjecto tractari debebant, ad causam efficientem referuntur, & vice versa: quæ sine dubio confusionis, aut saltem ordinis præproperi atque turbati notam incurere rectè dicuntur. Et præcaudendum insuper est, ne ab omni sana Philosophiæ studio avertamus rudesq; & vacuos planè reddamus animos studiosorum-juris, qui facile lassatas manus suâ sponte præbent, aut saltem æquipollentibus aliis terminis, aut circumscriptionibus, magis involvuntur, & perturbantur, quam adjuvantur, & tum quoque, quando jam in foro versantur, perquam focordia suâ sed nimis serò lucentes. Cui rei qui nimium fatos esse, aut cum JCrīs & Philosophis loqui, aut rectè sentire, aut faciles esse non liceat, nisi cum refectione boni ordinis, aut cum extirpatione jurium, ad quæ tanquam in Judiciis recepta & frequentata dirigere

gere studia nostra debemus, ut ut capti fortean non omnibus sunt facilia. Karol. Sylbind. Nic, sub cuius nomine latere comm. creditur illustris & in cathedris & in Tribunalibus Imperii nostri J.Ceus L. B. de Lyncker in mon. sus. ad J.Cri. B. Dn. Stryk. Tr. d. alt. for. invest. paf. sm. vid. sect. 1. m. 1. §. 7. pag. 7. n. 58. sq. & pag. 37. n. 399. sqq. imprimis pag. 82. n. 902. sqq.

II.

A *Pactis* contractus consensuales specificè differre, non olim tantum, sed & hodiernum rectè asseritur. Neque verò ex eo, quod hodie ex pactis deliberatò initis, exceptis solummodo preparatoriis, conditio ex moribus competat, firmiter concludere licet, nullam amplius dari differentiam. Ut ut enim in effectu *generico*, actionis alicuius indè productæ, hodiè conveniant, in *speciali* tamen effectu adhucdum disconveniunt, ex *illis* competente, per assitentiam iuris moderni, conditione ex moribus, quæ est stricti juris, ex *his* profliente ex ipso tali contractu actione, quæ est bonæ fidei, arg. §. 28. *Inst. d. alt.* inò, et si & in speciali effectu quoque convenirent, quod tamen hic non est, *per modo scripta*, forma tamen & differentia specifica alia atque alia manere potest, etiam hodie, ad evitandam confusio nem jurium, in se diversorum, ex suis describenda, & ostendenda principiis. Uti in simili ferè pronuntiat, ante laud. Lib. Bar. d. Lyncker d. l. pag. 330. n. 3552. sq. Dn. Schwendendorfferum, qui in *summar. alt. for. expos. c. 2. m. 4. sqq.* emphyteuticariam, & feudalem actionem, speciatim quamlibet delineat, vindicans: ibi: *Quod vovale ille cuilibet differentias suas specificas assignaverit, in eo accuratum se exhibet J.Crum, cuius non est unius alteriusve effectus respicere, ut causarum perquisitionem seponat. Nam hoc ad confusaneos, & aregades, & levis armatura milites pertinet.* Hæc ille. Eadem ratione facile reselluntur illi, qui hodiè otiosam doctrinam reputant, pactorum contractibus *in continenti*, & ex *intervallo* adjectorum, quorum differentias, in foris nostræ Germaniæ adhucdum utilitas, cum jam dudum ostenderit, & præjudiciis firmaverit Excell. Dn. Praefes in *posit. antea. ad L. 3. Inst. part. post. th. 3.* eo remittere sufficit.

III. Jus

III.

Judicium an incipiat à vocatione in jus, aut *citatione*; an verò à *litis contestatione*? variant sententiæ, ob cxx. variantes. Hi verò brevissimis ita componendi. Judicium quando *latiori* sensu accipitur, ita, ut & *judicii preparatoria* complectatur, recte dicitur incipere à *citatione*. §. *ult. l. d. pœn. rem. lit. arg. L. 30. junct. L. 7. ff. d. jud.* quando verò in *sensu stricto* accipitur, quo denotat tantum actuale causæ, in *judicio* quæ ventilatur, *disceptationem*, tunc initium ejus factum est à *litis contestatione*. per *L. 16. Cod. d. jud. l. un. Cod. d. lit. Cont. L. 5. pr. ff. d. her. pet.* Et à tempore hujus *litis contestationis*, si rectè facta est, surgit demum illud, quod dicitur, vitium *litigiosæ*, quod efficit, ut *alienatio rei litigiosæ*, post illud tempus facta, illicita sit, regulariter, ita, ut *jure quidem Pandectarum ope exceptionis* infirmanda veniret, *L. 68. ff. d. R. V. L. 1. §. fin. ff. qua res pignori*. *Jure Codicis* verò ipso *jure* nulla sit *L. 2. L. 4. §. 1. Cod. d. litig. vid. omnino B. Dn. Lanterbach. in Coll. præct. ad Tit. d. litig. th. 3. 4. & 5.* ubi *latini* hæc de re agit, & *in primis* commonstrat, *de Juris Veritate* non esse distinguendum, inter *actionem* & *rem*, nec *in rer. Pandectarum, Codicis, & Novellarum*, quamvis communis *Dd.* opinio quoad *actiones* distinguat, inter *personales* & *reales*, & quoad *has citationem* solam, uti & quoad *res eandem* sufficere velit add. tamen *Grav. d. l. Confid. 1.* ubi annotat hanc sententiam non usquè quaq; procedere. De casibus exceptis tamen ubi aliquando *rei litigiosæ alienatio* per *exceptionem* à *regula* valet, vid. *Laut. d. l. 5. 18. & ibid. allegatus B. Dn. Bardili in Concl. for. ad Digest. part. poster. Exerc. 24. th. fin.*

IV.

Ob vitium *litigii* prohibetur *alienatio*, non tantum *ratione rei* in *judicium* ita deductæ, sed & *actionis*, in *judicio* jam actu motæ. Et dicitur omnino *actio litigiosa* respectu *actoris*, *litigiosa* verò *res respectu Rei*, aut *illius*, qui *actione* pulsatur, & in *judicio* convenitur: quo pacto evenit, ut *actor actionem* suam, per *litis contestationem* semel jam in *judicium* deductam, *cedere* in *alium*, aut *ipsum nomen*, quod est in *controversia*, *alienare* nequeat, idque ob *eam rationem*, ac in *fraudem* *rei* durior fortean *actor* substituatur, *reus* verò *rem*, hæc-

hactenus possessam, nunc in litem deductam, alienare, aut in alium, lite pendente, transferre non valeat, ob hanc rationem, ne actor ad aliud iudicium nolens volens deducatur, *J. fin. & l. r. ff. & C. d. litig.* Et hoc non esse inanem quandam philosophiam, quod existimant, qui sibi persuadent, actionem esse litigiosam, non tantum ratione actoris, & rem esse litigiosam, non tantum ratione rei, sed potius, utrumque utroque respectu vitium litigiosi contrahere, ex hac ratione, quod actio, & res, sint subordinata, & se mutuo respiciant, vid. Dn. Titius in *observ. ratiocin. ad Comp. Schüz. Laut. Obsf. 1135.* sed in ipsa rei veritate fundatam, & cum effectu juridico, quem modo insinuavimus, conjunctam esse doctrinam, & rerum differentiam, per *L. 2. L. 4. C. h. t.* tantum non evidentiisimè, & ad oculum patet, quam propterea rectè nobiscum, propugnant Franzk. *d. resol. 11. n. 3. sqq. & n. 9. sq.* B. Dn. Lauterbach. in *Coll. Theor. pract. th. 2. & th. 15.* Hac enim, quæ in legibus nostris ita disposita extant, intendunt ferè unicè, & principaliter, alienationis inhibitionem, quæ effectum non ostendit, nisi in eo, qui in sua potestate habet, utut non jure, tamen factò, id quod dicitur litigiosum alienare, aut in alium transferre. Sane inauditum juridicum est, reum, adversus quem actio movetur, posse hanc actionem, quam ipse non habet, sed cujus instantiam ab adversario excitatam, ipse saltem pati debet, in alium cedere. Potest debitor quidem ex. gr. ab obligatione se liberare, per delegationem, sed ea non fit, nisi volenti Creditori, *L. 2. Cod. d. Har. vel act. vend.* & est satisfactio ipsi Creditori debita, *S. 41. J. d. Rer. Div.* Sed quis vellet hanc debitoris delegationem cessionem actionis, non nisi Creditori nata, & adversus debitorem, qui hactenus se passivè tantum habet, competentis, nominare. Cessio enim & actionis translatio, quatenus jure fieri potest, penes Creditorem est & fieri potest ab hoc, etiam infcio, vel invito eo, contra quem actio competit, *L. 3. C. d. her. vel act. vend. l. 1. Cod. d. novat.* in quo differt à delegatione cessio, quamvis alias & hæc nominis delegatio audiat, vid. B. Dn. Lauterb. *Colleg. ad Tit. de Novat. th. 5.* Et quomodo porò penes eum, qui rei vindicationem adversus eum, qui rem ejus in manibus, aut possessione sua, habet, instituire debet; ut rem obtineat, possit dici residere facultas, rem, quam ipse tamen nondum habet, sed nunc

B

verò à
ò bre
ipitur,
ipere à
quan
n aur
jus sal
d. lit.
ionis,
igiosi,
us-74
illicita
ntis in
gnior,
g. vid.
z. & s.
eritate
Pande
opinio
has ci
tamen
is pro
enatio
legatus
th. fin.
rei in
ta. Et
res re
nitur:
ionem
omen,
onem,
d rem,
hactè

nunc demum nancisci sperat, alienandi, aut transferendi in alium, ita, ut ea facta, actor inde cogatur, ad aliud se vertere iudicium. Quirem non habet, nec per se, nec per alium possidet, in eo supervacua est alienationis, aut translationis ipsius rei in alium inhibitiō. Privatio præsupponit habitum. Jus quidem quod præterdit, quale quale est, & ipsam actionem, ante litis contestationem, poterat cedere talis, sed de re ipsa, quam adversarius tenet, & restituere detrectat, nihil, nec de facto, agere potest, secundum commune dixerim. Quod quis non habet, in alium transferre non potest. Nec ratio à dissidentibus adducta aliud evincit. Namque (1.) est præsuppositum, quod actio & res sint subordinata. Res enim est principale Objectum actionis, & actio est remedium, quo illa petitur, & unum quodque horum per se stat, & coexistunt in suo genere, pari gradu, sine ullo subordinationis respectu, (2.) mutuo quidem se respiciunt, quod negari non potest, veluti se respiciunt, actor & reus, Creditor & Debitor; Sed quis inde vellet extorquere utrumque utroque respectu, & actionem quoque respectu rei, & rem quoque respectu Actoris, vitium litigiosi contrahere, aut alienationis inhibitionem ex hoc litigii capite in uno quoque horum exemplo utriusque respectu factam fuisse? Perinde, ac si quis vellet ex illa relatione, quæ est inter Actorem & Reum, concludere, easdem & non alias in iudicio esse partes Actoris, quam quæ sunt Rei, quæ tamen in se sunt diversissimæ, & regulariter quoque ut tales in singulorum horum personis distinctim tractantur & observantur, vid. B. Dn. Frommann. in *Diss. de action. divis. in gen. c. 4. in fin.*

V.

Res litigiosa redditur per actionem in iudicium deductam, non tamen per omnem, sed saltem per realem, & ne quidem per omnem actionem realem, sed saltem per eam, in qualis vertitur de proprietate, aut dominio. *Nov. 112. cap. 1. Auth. Litigiosa C. d. Litig.* Per dominium autem debemus intelligere non tantum verum, sed & fictum non tantum directum, sed & utile, non tantum solitariū, aut quod in solidum directum, sed & commune, cujus saltem partem sibi asserendi jus habet: & in genere tale jus, quod ipsam rei substantiam concernit, & afficit, quale quid etiam in re universalis, hæreditate



476.

tatepetenda occurrat, l. 13. ff. *fam. cretisc.* cum & jus hereditarium dominium quasi quoddam universitatis dicatur L. 24. ff. *d. V. S. dominium* insuper singularum rerum praesumptivè (quatenus earum patitur conditio) indefinite sub se comprehendens L. 37. ff. *d. A. vel O. H. L. 80. ff. de leg. 2.* rectè id observante Thom. ap. Dn. Fritsch. in *Diff. leg. Acad. diff. 6. de litig. pos. 6. n. 17. sqq. & n. 24. sq.* Non ergò rem litigiosam reddunt vindicationes talium jurium, quæ competunt saltem *in rei accidentia*, veluti confessoria, hypothecaria, & similes, ex hoc capite ab hac classe removendæ veniunt, Fritsch. *d. l. pos. 4. n. 6. sqq. & pos. 6. n. 59. sq.* Nec actiones personales huc pertinere, inde sua sponte sequitur, quales quales etiam sunt, sive simpliciter tales, aut directæ ratione subiecti passivi, sive in rem *scriptæ*, quod quidem existimat Franzk. *1. Res. 11. n. 41. sqq.* Sed rectius contrarium & quoad *has* defendunt Fritsch. *d. l. pos. 7. n. 20. B. Dn. Lauterbach. h. t. th. 7. Car. Otto Thyll. instructur & vindic. ad Gail. 1. obs. 118. n. 4.* sive competant *in genus*, sive in *quantitatem*, sive in *speciem*, aut *rem certam*, veluti actio empti, ad rem emptam sibi tradendam, commodati, depositi, ad rem talem restituendam, &c. quæ rem litigiosam non reddunt, quia in hujusmodi actionibus non agitur in finem & effectum domini; declarandi, post multos alios laud. Fritsch. *d. pos. 7. n. 1. seqq.* magis communem hanc vocans sententiam: quam & multis rationibus fortiter convalidat Franzk. *d. l. n. 23. sqq. plur.* ex aliis quoque eandem hanc opinionem communem, quæ maximam quoque in consulendo auctoritatem habeat, & ab eâ in judicando non esse recedendum pronunciat: quorum uterque sat fortiter dissentientibus, & opinionem suam foro & praxi utiliore, & judicantium auctoritati conducibiliore asserentibus, quos & novissimè sequi maluit Dn. Titius ad Schüz. *Obs. 1136.* se opponit, solidè ad argumenta eorundem respondendo; quam hic defenstratam sententiam, tanquam veriorum, & recentiorum meritò constabit B. Dn. Lauterb. *ad Tit. de Litig. th. 7.* post Vincent. Honded. *L. 1. consult. 20. n. 30. sq.* Bernhardus Græv. *in concl. pract. conf. d. 1. concl. 118. n. 3.*

VI.

Usum hujus articuli de Litigiosis, hodiè nullum amplius superesse, sed rem litigiosam, pendente etiam adhuc lite, licite vendi posse, sen-

B. 2

1057

Conclusiones juridicae Inaugurales.

fententiae tamen contra convenum lata executionem decerni debere contra possessorem novum, seu emptorem rei litigiosae testantur Godelin, *d. jur. noviss. l. 3. c. ult. in fin.* Groeneweg, *d. LL. abrog. ad Tit. C. d. Litig.* Wissenbach, *ad. ff. h. t. th. 26.* Struv. *in Syntagm. J. C. Ex. 46. th. 51.* Carol. Ott. Thyll. *in strict. & vindic. ad Gail. 1. Obs. 118. n. 6.* sed quia hi de exterarum regionum moribus id asserunt, aut in his se fundant, non potest his ultra fides haberi, & potius pro observantia hujus materiae apud nos praesumendum esse rectissimè inculcat B. Dn. Stryk. *in Spec. V. P. M. ad Tit. d. litig. inque Tr. d. Cautel. contr. Sect. 1. c. 3. §. 25.* Grav. *in concl. pract. 118. n. 2.* Dn. Lib. Bar. de Lyncker *in analect. ad Srwv. h. t. th. 511.* Merkelbachium *in Consl. Klock & Wissenbachium* ob id redarguens B. Dn. Bardili *in conclus. for. ad Dig. part. poster. Exerc. 24. th. 19.* De cætero, quod hodiè gratiam Principis implorando, quis rem litigiosam absque vitio & poenâ litigiosi alienare possit, quod ex Imberti Enchirid. notat Naurath, *in addit. ad Zæsium ad Tit. C. d. litig.* id restingendum arbitramur, ad poenam filco debitam, non verò simpliciter ad jus tertio jam quaesitum, ei invito non auferendum *arg. §. 2. Inst. d. his q. sui v. al. jur.*

VII.

Patre aut matre vivente legitimam exigendi jus liberi non habent, *L. 1. §. 21. ff. d. Collat. L. 2. §. 2. ff. d. V. & P. S. l. 6. Cod. d. inoffic. test.* Ante mortem parentum enim, libertis nullo modo est debita legitima, post plures Mich. Grassl. *recept. sent. §. de legitima quas. 12. n. 1.* Et spes, ad illam competens, nec probabilis, nec jure considerabilis, sed incerta omnino, & vana dicitur, propter multa accidentia, quae contingere possunt, ut non debeatur. Altograd. *l. 2. cons. 40. per tot. Cons. 41. n. 64. §. 99.* Tusch. *in comm. concl. lit. L. concl. 200.* Christin. *in decis. Belg. Vol. 2. Decis. 270. n. 4. §. 1.* Anthon. Gomez. *Tom. 1. Var. Res. cap. 9.* nec mutat exemplum Filii prodigi petentis & impetrantis à Patre substantiam suam *Luc. 15. v. 2.* id enim legem facere non valet, von Gültich ad Myns. *4. obs. 25.* Goswin ab Esbach. *in not. ad Carpzov. p. 3. const. 17. def. 10. n. 80.* & nullatenus ex juris necessitate, sed ex liberrima indulgentissimi illius parentis voluntate, legitimam illam suppeditatam fuisse apparet: & si patri aliter placuisset, utique eandem degeneri Filio dene-

dene
SS. A
& ad
tede
res ci
tur h
tadin
timar
quan
wur
§. 9.
win.
ne M
& po
com
Lud
faret
beret
nom
aliqu
Grass
omn
l. n.
sunt
cyclo
infi
poss
sum
vive
d. C
lich
§. 9.
legit

denegare Jure potuisset Bartol. in *Arb. si qua mulier*, Cod. d. SS. *Ecl. Recc. ap. Fritsch. d. legit. c. 2. sect. 6. pag. 198.* Quod & adeo verum est, ut parens, ne quidem pro condemnatione filii, propter delictum condemnati, legitimam solvere compelli queat, post plurimum citatus Grassus *d. l. n. 2.* Berlich. *p. 3. concl. 14. n. 16.* ubi attestatur hanc sententiam esse receptissimam. Excipiunt tamen, nisi consuetudine, vel statuto inductum sit, ut pater pro delictis filiorum legitimam solvat. Ejusmodi enim consuetudinem, vel statutum valere, quamvis cum aliis cit. Carpzov. *part. 3. const. 12. d. 10. n. 12.* Wurmsfer. *Tit. 39. obs. 8. n. 5.* Meichsner *Dec. Cam. Vol. 3. dec. 20. n. 51.* negent Coler *p. 1. d. 39. n. 2.* quam & verissimam dicit Goswin. ab Esbach *d. l. rectius tamen adstruit per text. in c. referente Nobis. 2. v. secundum x. de delict. pueror. Gail. 5. obs. 36. n. 3.* & post multos alios Grassus *d. l. n. 3.* Berlich. *d. l. n. 18.* ubi magis communem hanc dicit sententiam eamque in practica servari testatur Joh. Ludov. *part. 1. Dec. Perus. 11. n. 24.* quam & usu receptam itidem fatefaretur Goswin ab Esbach *d. l.* Nisi filius, qui deliquit, nepotem haberet, tum enim legitimam magis debere nepoti, quam filio, aut ejus nomine fisco verius est Joseph. Ludov. *d. l. n. 28. sq.* ubi refert, se aliquoties pronuntiasse, & ab aliis pronuntiatum vidisse, ex aliis Grassus *d. l. n. 4.* scribens hanc esse verissimam, & quodammodo in omnibus Curis Status Ecclesiastici canonizatam sententiam Berlich *d. l. n. 20.* qui *m. sq.* plures alias limitationes adducit, & quia odiosa sunt talia Statuta, & Consuetudines, merito rejiciantur, Hunn. in *Encyclop. p. 4. tit. 11. c. 8. n. 5.* Eberh. Fabric. in *Repet. Gail. l. 1. Obs. 36. in fin.*

VIII.

Si pater bona dilapidare satagit, sive culpâ, sive in fraudem, an possit proventus cogi, ut liberis legitimam assignet? id valde controversum est. Possê hoc in casu filium à Parente, etiam invito, adhuc dum vivo exigere, & extorquere legitimam, censent. Bald. Jason. Paulus d. Castro. Peregrin Fabian d. Monte Tusch. Alexand. all. locis à Berlich. *p. 3. concl. 14. n. 28.* Merlin. *de legit. l. 5. t. 5. qu. 6.* Gratian. *di. prept. for. c. 44. n. 18. sqq.* Marc. Anthon. Sabell. in *Summis Tract. S. legitima. n. 10.* ubi insuper allegat Duen. Socin. Mangil. Carpan. Surd. Giurbam.

Giurdam, & alios. Sed verior est contraria sententia. Hæc enim est regula juris decantatissimi atque verissimi: Viventis nullam esse legitimam, nullumque liberis illam exigendi à vivis Parentibus competere per præc. *rb. 7.* Ab hac regula verò cum nullibi hic casus legibus nostris exceptus reperiat, merito stamus regula. Vasqu. *l. 10. contr. ov. ill. cap. 37. n. 1.* Maret de *Quartac. g. n. 16.* post multos alios Berlich. *d. l. n. 21.* cui sententiæ quoque novissimè & rectissimè subscribit Dn. Thomas. *in Disp. d. legit. Vivent. c. 1. §. 15.* Accedit omninò, quod haud opus sit, ut ad extraordinarium hoc petendi remedium confugiamus, cum ordinarium aliud in promptu sit per text. *in l. 16. pr. ff. d. Minor.* Nempè si pater immoderate, crebris omninò actibus, bona sua dilapidando & dilacerando profundat, tum in Jure nostro, quod meritò benè constituta respUBLICÆ imitantur, sufficiens satis remedium præsto est, dum Magistratui in genere injungitur, huic malo mederi, & talem publicè pro prodigo declarare, ita, ut eo ipsoproctinus omni jure alienandi excidat, constitutus sub curatore, sine quo validè nil agere potest; §. 3. *J. d. Curat. l. 1. §. ult. ff. d. cur fur. l. 6. ff. d. V. O. Pinell. d. Bon. Mat. p. 3. n. 75.* Berlich *d. l. Joh. Reccap. Fritsch. d. legit. c. 2. sect. 6. aph. pen.* Et hoc omnino fit, aut fieri debet à Magistratu, vel *ex officio*, etiam nulla interveniente imploratione, ubi publicum interesse id exigit, veluti in nimio rerum suarum abusu, qui & in *detrimentum* Reipubl. vergere dicitur *in §. 2. Inst. d. his q. sui v. al. Jur. Mev ad Jus Lubec. p. 1. r. 7. art. 6. n. 30.* Jung. Joh. Baptist. Alin. *d. execut. §. 3. per tot. vel ad instantiam* quoque *cognatorum*, in specie etiam *liberorum talium*, qui videntes rem facillè tandem eo deventuram, ut in totum spe suâ, in ipsa naturali æquitate tamen fundata, legitimam aliquando obtinendi, ex bonis parentis defraudatos & exutos se queri debeant, non immeritò ad implorationem officii Judicis, ipsis omninò propitio Jure nostro, in finem præcavendi damni, patentem confugiunt arg. §. 4. *Inst. d. susp. Tut. l. 3. §. 4. ff. cod.* Rationes, quas eruditè in contrarium quæ hanc partem concessit, laud. Dn. Thomas. *d. l. §. 27. sqq.* concludunt, quoad *actionem propriè* sic dictam, quoad *implorationem*, ex ipsius naturalis æquitatis & humanitatis principiis oriundam verò id secus esse, & ratio juris. & varia exempla commonstrant. Est siquidem

428

quidem tratatitii juris, iudicem multa exequi mero suo officio posse, quæ jure actionis, aut accusationis à parte intentata, venire non possunt. Longovall. *part. 3. nov. declar. in L. 3 ff. d. Jurisd. n. 2.* & iniquum omninò visum, eos, qui stricto jure, ordinario actionis præsidio destituti inveniuntur, quo in numero etiam sunt liberi, in patriâ potestate constituti, quippe inter quos & patrem nulla lis, nulla actio jure nostro competere potest, *L. 4. ff. de judic.* ab omni prorsus, sum consequendi, & conservandi remedio excludi, undè ad instar utriusque actionum, in casu directarum deficientium, tanquam ultimum remedium nobile Judicis officium, ne ex alterius facto inique quis damnatum sentiat, inventum est. Longovall. *d. l. Afm. in prax. Jud. §. 31. c. 23. n. 1. sq.* uti in specie quoque si filius gravetur à Patre nimis aspero, impio & denegante id, quod natura debet, is quoniam stricto jure nullam actionem adversus patrem habet *d. l. 4. ff. d. jud. rectè & necessario implorat officium Judicis, ut sese tanquam filium pro modo facultatum ali pronuntiet l. ult. C. d. al. lib. Stephan. in Tr. d. Offic. Judic. L. 2. cap. 4. n. 16.* vel si quæ alia sit necessitas petendi. *Frider. d. proc. L. 2. c. 58. n. 5. B. Dn. D. Grav. d. offic. Jud. Nob. th. 17.* ubi plura ejusmodi exempla enumerat. Undè & licet quis legibus, aut municipalibus Statutis, ab omni actione exclusus esset, non tamen statim à postulatione officii Judicis excluditur, *l. 38. l. fin. ff. d. her. pet. & ibid Barthol. Afm. d. Execut. c. 223. n. 1. l. 9. B. Dn. Grav. d. l. th. 28.* Et imploratio talis in liberis, tam grave damnum ex immoderatâ istâ Parentis prodigalitate, jam sic in vulgus notâ sibi metuentibus, magis *admonitionis & denuntiationis cujusdam* naturam sapit, quam alicujus actionis, ita, ut vi illius, qui eo in loco magistratus partes tuetur, sui officii saltè admoneatur, & fortius castringatur, ut maturè se interponat, suumque, quod ipi cæterò quin incumbit, suâ spontè, & motu quasi proprio, officium faciat, *arg. l. 13. ff. d. off. Prat.* prodigo tali Patri bonis interdicit, & Curatorem & sobria vitæ, Patri dari Curatorem, magisquam extraneum. Et si enimolim indecorum videretur, patrem per filium regi, tamen ex divorum Fratrum rescriptis, id tandem in usu esse cœpit *l. 12. §. 1. ff. d. Tut. & Cur. dat. l. 1. 2. & 4.* ubi id magis pietatis esse dicitur *ff. d. Cur. fur.*

fur. imò amplius, cum propter jus patriæ potestatis, & Patris, & filii persona, una eademque habeatur, ferè est ut se ipsum regere rectè pronuntietur, qui per filium bene regi potest, ex Fabro *in Jurispr. Pap. ad Tit. d. patr. pot. pr. 7. illat. 12.* Excell. Dn. Præsès *in Diss. d. jur. prodig. sub Præsidio* Magn. Dn. Maseovii Gryphiswald. *habita. in membr. 1. 1b. 4.* ubi latius etiam contra Fabrum ibid: statuentem, filium emancipatum olim patri fuisse datum, non tanquam filium, sed tanquam extraneum disputatur, maximè ex ea ratione, quia & post emancipationem tamen filius moneat, quamvis deserit esse filiusfamilias. Nec attendendum, quasi hoc injuriosum Patri, cum non leve sit prodigiorum gregi aliquem adscribere, & ex hoc capite bonis interdicere: ut enim prodigi pro infamibus Jure civili communi ut L. Solonis non habeantur, inter humiles tamen, vilissimasque personas referuntur *l. 11. ff. d. dol. mal. l. 17. §. 17. ff. d. injur.* Goedd. *d. contrab. & comm. stip. cap. 7. concl. 10. n. 148.* Excell. Dn. Præsès *d. l. 1b. 7.* quod peragere liberis omnino indecens est, atque illicitum, quippe quibus actiones famosas adversus Parentes instituere legibus nostris vetitum est. Namque in talem sortem ipse se suâ prodigalitate pater conjecit, & per crebros istos immoderatiores actus existimationem suam apud graves & honestos vivos non leviter ipse jam minuit, & horum intuitu, quæ adhibenda est provisio magis ab officio judicis pendet, quam ex admonitione aut imploratione illa filiali, cujusmodi implorationis remediùm vel famosum vel saltem turpe esse, nullibi in legibus nostris legitur, ut propterea ex hac ratione illud nequam quam denegandum, maximè cum & verbis temperatis uti conveniat, & adversus patrem, quamvis actio famosa ex. gr. actio doli, tamen in factum actio non exulet *l. 31. §. 1. l. 12. ff. d. dol. mal.* Nec attendendum denique si *minorennis* talis esset, & ob id curatore indigeat, qui esse solet emancipato ipse pater, nedum ut agere possit adversus ipsum Patrem, ipsi curatorem legitimum existentem. Si quidem in tali imploratione opus non habet præcisè aliquo Curatore. Sufficit & hic, si ex consilio necessariorum, aut propinquorum hoc agat, perindè uti minorennis ex consilio tali suos Curatores suspectos postulare possunt *§. 4. 7. d. susp. Tur. l. 7. ff. l. 6. in f. C. eod.* aut si nec propinquus illi, consanguineus, aut affines, adesse adolecenti vellent, sua sponte

sponte officium iudicis & hic iniret, quod uti in hoc partibus suis defungitur, etiam non imploratum, ita multò magis iisdem defungitur ad minorens, ut ut omni Curatore destituti, nudam implorationem: quemadmodum in simili decidunt post Bart. Balduin. Mynsing. in Schol. ad d. §. 4. J. d. susp. Tut. n. 4. & fin. & Harppr. ibid n. ult.

IX.

Si patri in vivis allubescat, filio legitimam assignare, volens in hoc prævenire ultimum iudicium, vel quia stante statuto teneret filio delinquenti legitimam solvere, deinde verò facultates illius auctæ inveniantur, an filius augmentum legitimæ præterdere possit? Res est vehementer controversa. Verior est sententia, quod augmentum petere possit, per l. 35. §. 1. & 2. C. d. inoff. test. utique si filius illam legitimam simpliciter accepit, & ulteriori quanto, aut hæreditati paternæ, simpliciter renunciavit. Censetur enim acceptatio, & renunciatio facta, attento statu præsentis & rebus ut nunc existentibus, & assignatio quoque in tempus mortis, quo bona æstimantur, & legitima diemum debetur, collata videretur. Mich. Grass. *recept. sent. §. legitima quest. 13. n. 1.* post multos alios Berlich. p. 3. *concl. 14. n. 40. & 41.* & post alios ad huc Marc Ant Sabell. in §. *legitima. n. 15.* Joh. Recc. ap. Fritsch. in *disp. legitima c. 2. sect. 6. in fin.* ubi testatur hanc sententiam DDres communiter amplecti. Et quamvis multi pariter contrariam defenserint sententiam, qui etiam hanc communem dicunt, quos etiam in agmen conduxerunt Berlich. Grass. Sabell, *dd. II.* Receptor tamen, & verior non tantum est ea, quam primo loco asseruimus, teste etiam Vasq. *d. success. progr. §. 3. n. 27.* sed & æquior, & propterea tenenda, teste Grass. *d. l. secus* tamen est, ubi acceptatio talis legitimæ, & renunciatio ulterioris regressus ad hereditatem paternam, facta fuerit mediante juramento, tum enim contentus esse & manere debet ea portione, semel ei assignata, per c. *Quamvis 2. d. pass. in 6.* post Covarruv. Paul. d. Castro. Peregin. Berlich *d. l. n. 41.* post alios adhuc Grass. *d. l. vers. 5. Ant Filius,* ubi: quod in hoc magis concordent DDres Post Purpur. Fachin. Hondd. Recc. ap. Fritsch. *d. l. in fin.*

C

X, Rei


X.

Rei vindicatio utilis, ad exemplum directæ quæ datur, non tantum Vasallo 2. F. 8. in pr. Emphyteutæ l. 1. §. 1. ff. si ag. vel lig. & superficiesario, l. 73. §. 1. ff. d. R. vind. qui sunt illi qui ex hac utilitate vindicandi potestate domini utiles appellati sunt, quorum nec pauciores, nec plures inveniuntur, quam tres modo nominati, competit, sed & vero & pleno Domino datur adversus fictum possessorem, eum scilicet qui vel dolo desit. L. 22. l. 27. §. 3. pr. L. 59. pr. ff. d. R. V. l. 131. l. 150. ff. d. R. 7. vel liti se obtulit, L. 25. l. 26. ff. d. R. V. cum hæc tamen differentia, quod in prioribus casibus rei vindicatio competat *utilis ex mente*, quæ est *nativa*, in posterioribus verò casibus *Utilis ex equitate*, quæ est *dativa*. Nec est frustranea eorum sollicitudo, qui hæc distinctè tradunt, uti quidem censet Dn. Titius in Obs. ration. ad Schüz. O. 198. sq. Utraque enim species, æque ac rei vindicatio directæ, necessaria est, ita, ut hæc doctrina, hanc actionum distinctionem tum in hæc, tum in aliis infinitis ferè jurium nostrorum materiis, sollicitè inculcante, nec hodie carere possimus, usû fori ferè quotidiano id comprobante, & vel in solo articulo *exceptionis, non competentis actionis*, toties quotis occurrente. Quam in rem congesta quædam exempla exhibentur ap. Excell. Dn. Pras. in Diss. de lib. sum. publ. th. ult. & in Diss. d. pabular. mil. excurs. th. 26. Et datur casus vid. L. 2. ff. quand. ex fact. Tut. junct. l. 7. ff. l. 2. l. 8. l. 10. §. 1. C. qui pot. in pign. in concursu Creditorum, ubi rei vindicatio *utilis ex equitate*, si *dativa* longe utilius intentatur, quam hypothecaria actio, cum ratione *illius* jure separationis suum quis facilius, & tutius obtinere possit extra concursum, *da er sich in den Sant nicht einlassen darff* / ac ratione *hujus*, cujus intuitu, vel in secundâ, vel in tertia classe saltem collocandus venit: quæ maxima sanè, fortean quando casus ita fert, & in aliquot millia excrecere potens est utilitas, in massa bonorum debitoris admodum obarati, & ne quidem omnibus creditoribus hypothecariis sufficiente, ut vel ex hoc solo vanitatem doctrinæ contrariæ satis in oculos incurrat: quæ parum coloris anteorboris inde sibi attrahere valet, quod nonnulli in eam distinctio. Ut nem actionum, in nativas & dativas valde invehere solent. Ut Gibban. in Tr. d. Divis. jur. th. 132. eam dicit ridiculam, de qua nihil aut

480.

aut jure, aut ratione, monitum afferri possit, & noviss. Dn. Schwend.
disputationem edidit d. act. dativa non dabili. quia ex meris præsuppo-
sitis omnia talia procedunt, quod res ipsa docet vid. Omnium loco
Disp. B. Dn. Fromm. d. Act. nativ. & dativ. per tot. Sed hæc
tangere saltem hâc vice possumus, de quibus alibi for-
tean pluribus.

SIT BENEDICTA TRIAS, CUI LAUS ET GLORIA SOLI.



PASSIBUS egregiis calcas vestigia PATRUM, *
Æquâ fors similis stet Tibi lance precor?
AB AVI ejusdem cognominis Johannis Harp-
prechti. PATRIS Ferd. Christoph. Harpprechti
celeberrimor. JCorum & Professorum in hac
Universitate p. m. Boni ominis
& ex Materna Linea NEUFFERORUM ergo posuit
ejusdem Ordinis

PRÆSES.

NOMINE saccelebris talem Te RE quoque præstes!
Id præfaga satis pagina docta probat.
Hæc Amico æstimatissimo gratulabundus adiecit
M. F. GRASS.

Dum Tu concludis, nec ego concludere cesso,
Atque expræmissis Talia necto Tuis-
Non poterunt non summa sequi Te præmia: namque:
Hæc ex Jure fluunt non minus, atque Tua.
O minor haud vanè. Fient HARPPRECHTE! memento!
Quin etiam poscet* Schedules nostra suum.
Ita in honorem Nobilissimi atque Eruditissimi Dn. Can-
didati, Fautoris optimi, in Vestigio D. Parentis pedem
tam egregie ponentis
C. W. O. G. L. E. T. A. U.

M. JOH. FRID. HOBHMAN, SS. Th. Stud. & Seren. Stip

1087

TE privata sacri monstravit Juris amantem,
Hactenus assiduum vita subinde mihi:
Publica nunc itidem cunctis monumenta probabunt,
Quatandam dignus Jure sequetur honos.

Ita Nobilissimo & Clarissimo Dn. Respondenti J. U. Licentia
meritissimo, Conterraneo, Cognato, ac Amico suo inter
gerissimo animitus acclamo.

F. W. BAYER.

Pervigilem Te fama tenet clarissima Stirpis
Decusque PATRUM Nobjle
Hinc usque irrequietus, agis, stimulisque citatus
Per cuncta reperis ardua
Et Jurum jam culmen aves (habes) majora capesse
Generosa Stirpis Surcule.
Quæque super parili vince O fastigia nifu
Et cresce magnam in arborem.

J. P. C. B. Opp.

Du magst uns / Werhter Freund mit recht ein Phoenix heissen /
Der aus der seel gen Aisch des theuren Harpprechts steigt
Dieweil Dein Geist und Mund fast alle Züge weisen /
Die Deines Väterns Ruhm der ganken Welt gezeit.
Sein fluges Wissen ist in Deine Brust gezogen /
Du hast den raren Fleiß durch Erbgang recht erlangt;
Was Wunder? wann dir dann Altra so gewogen /
Daß sie mit Deiner Kunst auff dem Catheder prangt:
Und weil sie selbst das Wort mit Deinen Lippen führet /
So ist kein Mensch / der Dir den Siegs Kranz dispariret.
Mit gegenwärtigum sollte in Herrn Candidaci fernern Abreimb
Affection sich bestens recommendiren / dessen jederzeit ergeben
sien Freund und Diener

JOH. BURCKH. BOCH, Durlac. Opp.

Du Sein gelehrter Mund auff dem Catheder schallet /
Und jedermann Sein Fleiß / Herr Harpprecht, wohl gefallen
So legt die Billigkeit Ihn dieses Zeugniß key
Daß Er ein edler Zweig von hohem Stammen sey.
Aus Schwägerlicher Ergebenheit gratuliret hiemit
Joh. Georg Fischer, Not. C. P. und Spitalwern. zu Tübingen.



Trübigen, Diss., 17 14/16

ULB Halle

3

004 171 462



Sl.



13
471.

CONCLUSIO-
NES JURIDICÆ
INAUGURALES

Quas
EX DECRETO
Amplissimi Jureconsultorum, in In- 17
clyta EBERHARDINA, Ordinis
PRÆSID E

VIRO Prænobilissimo, Consultissimo & Excellentissimo,
DOMINO
MICHAELE GRASSO, U. J. D.
Seren. Ducis Würtemb. Consiliario,
Pandect. & Crim. Sanct. in Illustri Eberhardina
Profess. Publico.

*Pro summis in Facultate Juridica Honoribus, ac
Privilegiis legitime obtinendis*
Ad diem Novembris ANNO MDCCXVI.

Loco Horisque consuevis,
Solenni ac Placido Eruditorum Examine destinavit
JOHANNES HARPPRECHT, Tubing.
Supr. Dicastrii Würtemb. Advoc.

TUBINGÆ,
Literis JOSEPHI SIGMUNDI.

